



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

L. Vicario Nostro apud Constantinopolim.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

480 Epistolarum Innocentij III.

est, Ecclesia non ad conventum tardabit. Licet autem apostolica sedes non tam constitutione synodica quam divina caput & mater omnium Ecclesiarum existat, (sicut ex tenore litterarum quas venerabili fratri nostro Patriarchae Constantiopolitano dirigimus, & quarum tibi destinamus exemplar, celsitudini tua plenius poterit apparere) ideoque Patriarcha praedictus nec pro disparitate rituum nec dogmatum diversitate differre debuerit quin nobis, sicut suo capiti, secundum antiquum & canonicum statum benignius & devotius obediret, cum certa non sint pro dubiis relinquenda; nos tamen pro multis necessitatibus ecclesiasticis disposuimus auctore Domino generale convocare Concilium & synodalem celebrare conventum: ad quem si vocatus a nobis juxta tuam promissionem occurrerit, cum haec sint dogmata quae nostris litteris requisivimus, ut scilicet membrum ad caput & ad matrem filia revertatur, Ecclesiae Romanæ reverentiam & obedientiam debitam impensurus, eum sicut fratrem carissimum & præcipuum membrum Ecclesiae benignè ac hilariter admittemus; de ceteris auctoritate sedis apostolicae ac sacri approbatione Concilij cum suo & aliorum fratrum nostrorum consilio quæ statuenda fuerint statuentes. Alioquin, cum scandalum Ecclesiae non debeamus ulterius sustinere, qui de area Domini zizania debemus & paleas exsufflare, dissimulare non poterimus quin in ipso Concilio, si desuper datum fuerit, in hoc negotio de fratrum nostrorum consilio procedamus. Monemus igitur magnificientiam tuam & exhortamur attentiùs, & in remissionem injungimus peccatorum, quatenus sic efficias, ut idem Patriarcha per se, vel si forte justa præpeditus occasione nequierit, per procuratores idoneos & aliquos de majoribus Ecclesiarum Prælatis statuto tempore ad Concilium vocatus accedit, apostolicae sedi obedientiam & reverentiam secundum statum canonicum præstiterus; ne si fecus actum fuerit, quod non credimus, tam in te, qui potes, si volueris, efficere quod mandamus, quam in eum & Ecclesiam Græcorum procedere compellamus. Super ceteris autem dilectum filium I. Capellanum & familiarem nostrum, apostolicae sedis Legatum, virum providum & discretum, nobis &

fratribus nostris obtenuit suæ religionis & honestatis acceptum, ac tuæ serenitati devoutum, ad imperiale excelleniam duximus destinandum, monentes & exhortantes attentiùs quatenus eum sicut Legatum apostolicae sedis benignè recipias & honores, & ea sine dubitacione quilibet credas quæ tibi ex parte nostra duxerit proponenda; sciturus pro certo quod si nostris volueris consiliis acquiesceré, gravi tempestate sedata, grata tibi poterit tranquillitas provenire. Datum Laterani Idibus Novembris.

L. V I C A R I O N O S T R O
apud Constantinopolim.

Quanto de benignitate sedis apostolica locum obtines celsorem, tanto tibi est sollicitius procurandum ut te talem exhibeas in agendis, non declinans ad dexteram vel ad sinistram, quod non minus re quam nomine vices apostolicas gerere videaris. Pervenit sane ad audientiam nostram quod quidam simplices sacerdotes apud Constantinopolim ea sacramenta presumunt fidelibus exhibere quæ ab Apostolorum tempore rite fuerint solis Pontificibus reservata, ut est sacramentum Confirmationis, quod chrismando renatos soli debent Episcopi per manus impositionem conferre, ad excusandas excusationes in peccatis & sui erroris fomentum solam consuetudinem prætendententes, cum diuturnitas temporis peccata non minuat, sed augmentet: quæ tanto graviora existunt, quanto infelicem animam diutius detinent alligatum. Volentes igitur haec & alia, quæ oculos divinæ majestatis offendunt, de agro dominico extirpari, discretioni tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus omnibus Latinis Presbyteris apud Constantinopolim constitutis districtè prohibeas ne talia de cetero sua temeritate presumant, quæ licet non sint a fidelibus contemnda, tutius tamen est ea sine periculo ex necessitate, quæ legem non habet, omittere, quam ut ab his quibus ea conferre non licet ex temeritate, quæ lege damnatur, non sine gravi periculo inaniter conferantur, cum umbra quædam ostendatur in opere, veritas autem non subeat in effectu. Alios quoque subjectos tuos & ab illicitis revocare fatigas & ad facienda bona verbo & exemplo pariter invitare: quibus quales pro te

Epiſt. 212.
Sacramentum
Confirmatio
administrati
non potest nisi
ab Episcopo.
Cap. Quanto.
De conſuetu
dine.

te litteras destinemus, ex rescripti nostri serie perpendere poteris evidenter. Datum Laterani XVI. Kal. Decembris.

O M N I B V S L A T I N I S
tam Clericis quam laicis apud Constantiopolim constitutis.

Epiſt. 213.
V. Legato apostolico obtemperante.

Quam magnum sit bonum obedientiae, quantumque ab omnibus fidelibus appetendum, ex contrario ejus evidenter appetit, cum teste Prophetam peccatum ariolandi sit repugnare, & quasi seclusus idololatriæ nolle acquiescere, sitque in illos graviter vindicatum qui schisma in populo facientes, inobedientes extitere suis superioribus & rebelles. Ad hujus autem virtutis eminentiam nullus attingere poterit subditorum, nisi Prælatis suis curaverit humiliter obedire. Sanè quoniam præsentiam suam non potest Romanus Pontifex omnibus exhibere, dilecto filio Magistro L. cuius virtutes & merita pleniū cognovisti, vices suas apud Constantiopolim duxit sedes apostolica committendas, ut absens corpore, præsens spiritu, per ipsum, quem tanto deputavit oneri & honori, vos tanquam membra sibi capitii firmiter coüniret. Ut igitur ei qui factus est Deo patri obediens usque ad mortem, per obedientiam placere possitis, monemus universitatem vestram & attentiū exhortamur in Domino, per apostolica scripta præcipiendo mandantes, quatenus pro reverentia beati Petri & nostra præfato Magistro unanimiter intendentes, salutaria ipsius monita & præcepta teneatis firmiter & servetis, scituri quod nos illi concessimus, ut quia communis deposita utilitas, non obstante rescripto, si quod à bonae memoria C. Papa prædecessore nostro proponitur imperatrum, ad eum, quoties necesse fuerit, liberè appelletur, & ipse causas, super quibus ad eum fuerit appellatum, canonico fine decidat, enormes etiam & graves excessus per censuram ecclesiasticam corrigit & castiget. Circa quem, cum sine vestra non posset injurya mendicare, in subsidiis etiam corporalibus conferendis, qui vobis spiritualia subministret, vos esse convenient liberales; ut de bonis vobis à Deo collatis eidem in vita & morte hilariter confruentes, orationum illius fitis participes qui vicarius noster existit, & per hæc & alia bona, quæ in terris Domino inspi-

rante feceritis, ad æterna gaudia pervenire possitis. Datum Laterani XVI. Kalendas Decembris.

P R I O R I E T F R A T R I B U S
sanctæ Crucis.

Pro questionibus gravibus & diversis, quas venerabilis frater noster Colimbiensis Episcopus adversus vos & quosdam alias religiosos habere dignoscitur, longo tempore iam elapsu fuit apud Romanam Ecclesiam constitutus, sperans per censuram sedis apostolicae finem litibus imponendum. Sed ecce desiderium ejus, facientibus vobis, in præsentiarum duci non potuit ad effectum, cum in absentia partis alterius, quantumcumque nobis grave fuerit & molestum, ad diffinitivam sententiam non duxerimus procedendum. Quamvis autem tantam inobedientiam vestram gravi possemus animadversione punire, volentes tamen regia via semper incedere, non declinantes ad dextram vel sinistram, universitati vestrae in virtute obedientiae districte præcipiendo mandamus quatenus omni contradictione & appellatione cessante usque ad festum omnium sanctorum proximè futurum per vos ipsos, vel per sufficietes & idoneos responsales, ad nostram præsentiam accedatis, super privilegiis omnibus & libertatibus quæ à Romanis Pontificibus vel à Michaële quondam Colimbiensi Episcopo vos habere propontitis, & super aliis questionibus adversum vos à Colimbiensi Ecclesia intentatis, diffinitivam sententiam recepturi. Et ut veritas facilius reveletur, authentica & originalia cum Bullis suis nobis sub præmissa districione ad eundem terminum exhiberi præcipimus per eosdem. Interim autem vobis, sicut & alteri parti, licebit, si volueritis, alius ab his quæ fecisti haec tenus allegare pariter & probare coram dilectis filiis....de Alcobatia &....de Seiza Abbatibus & Fer. Menandi monacho Alcobatiæ, sedis apostolicae delegatis; quibus super hoc nostras litteras destinamus. Sanè præfixum vobis terminum peremptorium assignamus: ad quem si venire vel mittere, sicut præmissum est, contempseritis, nos nihilominus in caussa ipsa, quantum de jure poterimus, procedemus. Datum Laterani VIII. Kal. Decembris.

Epiſt. 214.
Citantur ad studiendam ientitiam inter ipsos & Episcopum Colimbriensem.
Vide ſupr. lib.
1. epiſt. 222. &
ſeqq.

Vide ſupr.,
epiſt. 332.